Michalski Raphael: Diva aequitatis bilanx ad scholasticam examinata staterem seu Conclusiones theologicae de iure et iustitia




Expendo et appendo.
Pro Æquitate.
Pro Æquitate sunt sacræ Coronæ.
THESES DE IVRE et Iustitia
Pro Æquitate.
Reddet mihi Iustus Iudex.
Iustitia Lumen

A.



DIVA
ÆQVITATIS BILANX
AD SCHOLASTICAM EXAMINATA STATERAM,
SEV
CONCLVSIONES THEOLOGICÆ DE IVRE & IVSTITIA,
QVAS
Sub Auſpicijs

MAGNIFICI, PERILLVSTRIS, & ADMODVM REVERENDI DOMINI

M. SIMONIS STANISLAI MAKOWSKI,

Sacræ Theologiæ Profeſſoris, Collegæ Maioris, Eccleſiæ Collegiatæ S. FLORIANI *Canonici, S. R. M. Secretarij, Almæ Vniuerſitatis Academiæ Crac:* GENERALIS & VIGILANTISSIMI RECTORIS.

Nec Non

Perilluſtrium, Clariſſimorum, & Admodum Reuerendorum Dominorum, Sacræ Theologiæ DOCTORVM & PROFESSORVM.

Perilluſtrium, Clariſſimorum, & Admodum Reuerendorum Dominorum, Facultatis Iuridicæ DOCTORVM & PROFESSORVM.

Clariſſimorum, Excellentiſſimorum, & Spectatiſſimorum Dominorum, Medicinæ DOCTORVM & PROFESSORVM.

Clariſſimorum, Excellentiſſimorum, & Doctiſſimorum Dominorum, Philoſophiæ DOCTORVM & PROFESSORVM,

Totiuſq; Florentiſsimæ Vniuerſitatis Cracouienſis,

Dominorum, Dominorum & Patronorum Fauentiſsimorum.

IN ÆDIBVS RVPELLANIS

DIVI STANISLAI CASIMIRIÆ ad CRACOVIAM,

PRÆSIDE

R. P. FLORIANO TRZEBSKI, *Ordinis* S. PAVLI *Primi Eremitæ in præfato Conuentu Sacræ Theolog: Ordinario Profeſſore,*

Publicè defendendas ſuſcepit

Rel. Fr. RAPHAEL MICHALSKI *eiuſdem Ordinis Sacr: Theol:* AVDITOR.

Anno ab ortu SOLIS IVSTITIÆ M. DC. LXXII.

Die 4 Menſis Septembris Horis Pomeridianis. h.

CRAC: In Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typogr:

Justitia est fundamentum totius commendationis & famæ.
Marc: Tull. in Lib. Offic.

Ab inopia Iustitiæ, copia venit contentionum, litium atq; pugnarum. Athalaricus Rex apud Casſiod: Lib. 9. Epist. 20.

Justitiæ & Virtutis maximam partem habet, qui honore dignos honorat. Democr. apud Stobæum serm. 44.

Inter populos sempiterna naſcuntur certamina, nisi fuerit Iustitia custodita. Casſiod. Lib. 7. Epist. 23.

Non impedit Iustitia Misericordiam, quia Misericordia ipsa Iustitia est. S. Ambrosius.

MAGNIFICE, PERILLVSTRIS,
& Admodum Reuerende Domine
Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis
RECTOR.
PERILLVSTRES, CLARISSIMI, ADMODVM
Reuerendi, Excellentiſsimi, Spectatiſsimi,
Doctiſsimi,
QVATVOR FACVLTATVM
DOCTORES & PROFESSORES,
DOMINI DOMINI,
ET
Patroni fauentiſſimi.

AD Vos Eremitica Pallas aureis IVSTITIÆ illigata compedibus ſoluēda aduoluitur, ORBIS SARMATICI LVMINA ac COLVMINA ACADEMICI. Quippè quā ſtricto iure inſoliti vinxerunt ac vicerunt fauores, non niſi beneuolentia abſoluet: nec abſoluet, ſed in vinculis liberam, ſibi faciet ſubiectam. Quantum enim debeat, nouit; at tantum ponere, impotens eſt: Non eſt ſoluendo, quam tàm grande euacuat debitum. Æqualitatem exigit æqui ac iuſti parens IVSTITIA, cohibet exilitas: illa vtramq; plenam vulteſſe ſtateram, hæc alteri earum pondus demit, ac cum vacuo(quod Natura abhorret, inopia

ſuſtinere cogitur) iuncta, alas ei addit. Impleſti Tuam, Vnicũ ORBIS TOTIVS PRETIVM, quâ Sapientiâ, quâ virtutibus, quâ honoribus ſtateram, cui mouendæ ne Archimedis quidẽ ſufficiet peritia; quid Rupellanæ Palladis leue pondus? Ipſa Nomina Sapientum, Numina ſunt, Merita, aureæ glebæ. Quot ora, tot decora, quot Capita, tot non Vrbis vnius, aſt Orbis Capitolia. Verbo dicam, ALMA MATER ACADEMIA, Mamilla Regum eſt, quot Studentes, tot ſugentes, ac ad Solia Regum, Infulas, Mitraſq; Principũ ſurgentes fouet ac enutrit filios. Tanto igitur quod oppones pretium indiſertũ Deſertum? Rupem cogitat auiam ſuam, at & hæc ſacro cruore pro Iure ac IVSTITIA fuſo perũcta, æquale in pretio ponere docet pondus: Quæ verò aridæ Rupis cum auro gemmiſq; æqualitas? Ergò affectũ ponit in imo graui fundatũ pondere, cui ſi veſtros FAVENTISSIMI PATRONI iunxeritis animos, Regina IVSTITIA in æquilibrio ponet bilancẽ, ac in ſuo contenta finali effectu conquieſcet.

Quod ſubmiſsè vouet & precatur

Cliens humillimus

Rel. Fr. RAPHAEL MICHALSKI. Ord: S. PAVLI *Primi Eremitæ Profeſſus.*

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ, De Iure & Iuſtitia.

I.

IVstitia eſt virtus ſpecialis diſtincta entitatiuè à reliquis virtutibus moralibus: Rectè definitur quod ſit habitus ſecundùm quem aliquis cõſtanti & perpetuâ voluntate ius ſuum vnicuiq; tribuit: Subiectum illius proximum eſt voluntas; remotum omnes illæ Perſonæ, inter quas poteſt reperiri iuſtum ſimpliciter.

II.

OBiectum materiale proximũ Iuſtitiæ non ſunt paſſiones, neq; res vt res; ſed eſt operatio externa iuri alterius debita & adæquata: Formale eſt honeſtas æqualitatis ſita in adæquatione operationis debitæ ad ius alterius. Hæc operatio duos includit reſpectus, vnum cum iure illius perſonæ cui debetur, ſecundum cum recta operantis ratione.

III.

IVs actiuũ cui operatio iuſta debetur, non eſt prælatio moralis vnius præ alio: neq; indigẽtia rerũ ad cõplementum omnis propriæ fortunæ in conuictu ſociali pertinẽtium; ſed eſt legitima poteſtas pro ſuo arbitrio diſponendi circa aliquam rem, cuius violatio iniuriam conſtituit: Diuiditur in Proprietatis & Iuriſdictionis: Proprietatis verò aliud Perſonale, Reale aliud eſt.

IV.

AD rationẽ ſimpliciter dictæ Iuſtitiæ non requiritur alteritas ſuppoſitorum, ſed ſufficit voluntatum ſiue entitatiuè, ſiue virtualiter ſub vna Perſonalitate exiſtentium. In DEO Homine CHRISTO non deeſt alteritas, quæ ſufficiat ad rationem perfectæ Iuſtitiæ, non ſolùm cum DEO Patre, ſed etiam cum ſeipſo contrahendam, modò aliud nihil officiat.

V.

DEbitũ aliud eſt legitimũ prouenięs ex iure & obligatione Iuſtitiæ propriè dictæ: aliud morale fundatum in ſola honeſtate vel condecentia aliarũ virtutum: Iuſtitia non hoc, ſed illud requirit; quodq; in ratione debiti ſit perſeuerans, ac ad iteratam ſolutionem eius debiti, quod iam ſufficienter eſt perſolutum, ſecundum ſe non inclinans.

VI.

IVſtitia Cõmutatiua, Diſtributiua & Legalis ſunt perfectæ Iuſtitiæ ſpecificè inter ſe diſtinctæ. Legalis etiamſi ſit virtus ſpecialis, eſſentialiter diuerſa non tantùm à Iuſtitia Particulari, ſed etiam ab alijs virtutibus moralibus; poteſt tamen dici virtus generalis non Logicè, ſed imperio & ratione obiecti: Eadẽ eſt in Principe, & in ſubdito.

VII.

DIſtributiuã Iuſtitiã à Cõmutatiua nõ benè diſtinguit proportio geometrica & arithmetica; optimè autẽ diuerſificat illas æqualitas operationis debitæ ad Ius legitimum partium in bona ſuæ cõmunitatis fundatũ in earum dignitate; Et æqualitas ad Ius particulariũ perſonarũ in bona proprietatis: Sẽper debet eſſe ad plures.

VIII.

ELigere aut præſentare indignũ tàm ad beneficiũ vel officiũ Eccleſiaſticum, quàm ad ſæculare eſt peccatũ ex genere ſuo mortale. Eligere autẽ minus dignũ prætermiſſo digniore nõ ſemper eſt peccatũ graue. Probabile eſt Reges Poloniæ non peccare cõtra Iuſtitiã Diſtributiuam conferendo officia Regni Perſonis minus dignis, omiſſis dignioribus.

IX.

VIndicatiua Iuſtitia non eſt ſpecies condiſtincta à iuſtitia Diſtributiua & Cõmutatiua: Tã in læſo requirente pænam à Iudice, quàm in lædente ſubeunte pænas ſibi commeritas non eſt perfecta Iuſtitia: In Iudice autẽ reſpectu Reipublicæ, & reſpectu partis læſæ pænam requirentis eſt perfecta Iuſtitia Commutatiua; Non tamen reſpectu Rei.

X.

X.

IVs in comuni conuenienter diuiditur primò in Naurale & Poſitiuum: Secundò in Ius ſecundùm quid ac imperfectum, & in Ius ſimpliciter ac perfectum. Poſitiuum ſubdiuiditur in Diuinum & Humanum: hocq; in Ius Gentium, Ciuile, & Eccleſiaſticum: Perfectum verò in Legale & Particulare; illud vocatur Ius Altum, hoc Ius Baſſum.

XI.

IVs gentium eſt Ius poſitiuum: In illo non tantum DEVS poteſt diſpenſare illudq; abrogare, verum etiam Summus Pontifex cauſâ ſalutis æternæ, boniq; ſpiritualis: Differt per hoc à iure naturali; quod hoc obliget ex natura rei præcipiendo honeſtatem neceſſariam, vel prohibendo intrinſecè mala; illud verò ex libero conſenſu ferè omnium rectè conſtitutorum populorum.

XII.

IVs oeconomicum partitur in Ius Paternum quod intercedit intèr Patrẽ & Filium: Jus herile quod eſt inter Dominum & ſeruũ: & Ius maritale quod inter maritum & vxorem locum habet: Perſe loquendo eſt naturale originaliter, completiuè verò & quoad vltimam inter hos illoſq; determinationem, excepto Iure Paterno, eſt poſitiuum.

XIII.

IN DEO ſunt omnes virtutes ad alterum, fundatæ in ſola honeſtate virtutis & condecentia Diuinæ bonitatis imperfectionem aut ſuperioritatem in alio non ſupponentes. Et ſic concedenda eſt in eo Liberalitas, Miſericordia, Veracitas, Gratitudo, (nõ quâ aliquod acceptum beneficium recompenſat, ſed quâ debita obſequia remunerat) item Charitas, imò & Juſtitia propria.

XIV.

PErfecta & formalis Iuſtitia in DEO erga homines, & in hominibus ad DEVM non datur; vndè etiam Iuſtitia Cõmutatiua, Diſtributiua, & Legalis in DEO locũ non habẽt: Vindicatiua verò benè illi tribuitur; quæ tamen in eo ſpecialis virtutis nomen non tenet, ſed reducitur, vel ad charitatem ſui & creaturarum, vel ad generalem prouidentiam circa creaturas.

XV.

INter Patrem & Filium, Dominum & ſeruum formaliter ſumptos non intercedit Iuſtitia perfecta, ſed tantùm inter ſpecificatiuè acceptos: ſicut & inter maritum & vxorem non datur in ordine ad regimen domeſticum; datur autẽ in ordine ad vſum matrimonij fũdata in iure perſonali, & in ordine ad bona fortunæ propria, fundata in iure reali.

XVI.

INiuſtitia eſt vitiũ ſpeciale & ex genere ſuo mortale: Obiectum eius materiale proximũ eſt actio exterior, vel omiſſio læſiua iuris alieni: Formale eſt bonum apparens quod apprehenditur in læſione iuris alieni: Habitus illius particularis intenditur, per illos ſolum actus qui procedunt ex cõplacentia & affectu boni apparentis in violatione iuris alieni. Volenti & conſentienti non poteſt eſſe iniuria.

XVII.

DOminium in genere eſt ius gubernandi vel diſponendi de re aliqua tanquã ſua, niſi legè prohibeatur: Iuriſdictionis eſt Ius gubernandi ſubditos principaliter & directè in eorum vtilitatem. Proprietatis eſt Jus diſponendi de re in proprium commodum: Quod diuiditur in Perfectum, quod eſt ius tam in Subſtantiam rei, quàm in commoda eius: & in Imperfectum ſeu vtile, quod eſt vel in ſubſtantiam rei & non commoda, vel è contra.

XVIII.

VSus licitus rerum vnico principali vſu conſumptibilium poteſt ſeparari ab omni Dominio. Fratres Minores ita nullius rei habent Dominium, vt etiã in extrema neceſſitate cõſtituti non fierent capaces illius; imò etiamſi ipſi ſoli manerent in mundo, adhuc non eſſent Domini rerum quibus vterẽtur. Paupertas Religioſa poteſt ſtare cum Dominio rerum.

XIX.

OMnes res ſublunares modo ſint apprehenſibiles, Fama item, Honor, Actus ſpirituales tàm naturales, quàm ſupernaturales, Habitus ſcientiarum qui ex vi & efficientia actuum noſtrorũ comparantur cadunt ſub Dominium humanum; minimè verò Angeli vel corpora cæleſtia. Diuiſio Dominiorum iuſtè & commodè iure gentium introducta eſt.

XX.

XX.

SOlus Devs habet Dominium in vitam humanam, membra ac alia accidentia innata, necnon in habitus qui ab ipso solo nobis infundũtur: Homo verò ipse est tantum custos illorum & vsufarius; qui etiam in alium hominem non habet naturale Dominium proprietatis; sed solum potest habere in illum Dominium despoticum, non æquè tamen vt in bruta.

XXI.

DEvs vt potè supremus in natura intellectuali habet Dominium perfectissimum omnium vnicum commune tribus Personis: Natura verò creata libera solum participatum; vt Angeli respectu suarum operationum; & homines, (non tantũ adulti, fideles & iusti, sed & infantes, amentes, infideles, & peccatores) respectu rerum temporalium.

XXII.

CLerici sæculares etiãsi sint veri & absoluti Domini nõ solũ bonorũ patrimonialiũ & quasi patrimonialiũ, sed etiã omniũ absolutè prouentuũ sui beneficij; obligãtur nihilominùs sub peccato mortali, vt retentâ sibi parte redituũ Ecclesiasticorũ ad decẽtiã sui status necessariâ, reliquos reditus expendãt in pauperes vel alios pios vsus.

XXIII.

NVllus Clericus etiã Episcopus habet dominiũ absolutè proprietatis in bona Ecclesiæ ĩmobilia & supellectilẽ quo ad substãtiã, sed tãtùm vtile: Potest interdũ & plus remunerare, quã valeãt dona vel seruitia accepta; & etiã ex reditibus beneficiatis alere in studijs suos nepotes & cõsanguineos, quando aliunde non habent alimenta.

XXIV.

SVmmus Põtifex nõ habet in mundũ vniuersum Dominiũ nec Proprietatis, nec Iurisdictionis Laicæ; esto habeat in õnia regna Christianorũ Dominiũ directũ Iurisdictionis Spiritualis; Ratione cuius habet etiã potestatẽ tanquã supremus Bonorũ Ecclesiasticorũ Dispensator applicandi portionẽ Clericorũ, vel etiã pauperũ, ad alios vsus pios.

XXV.

CHristvs Dominus in quãtum Naturalis Filius Æterni Patris habuit supra totum mũdũ non tãtùm plenã potestatẽ Spiritualis Iurisdictionis; sed etiam Dominiũ excellens tàm Iurisdictionis, quàm Proprietatis etiã in rebus corporalibus; defacto tamen propter exemplum nostrum illud non vsurpauit sibi.

XXVI.

REligiosi solemniter professi in particulari sunt incapaces Dominij rerũ temporaliũ; in cõmuni tamen habent Dominiũ eorũ, quæ possident. Prædicta incapacitas non oritur in illis ex natura voti solemnis, sed solùm ex Iure Ecclesiastico. Abbates, Præpositi, Priores & similes Beneficiati Religiosi non sunt Domini, sed Administratores & Dispensatores fructuum ex Beneficijs prouenientium.

XXVII.

ETiãsi nõ possit in eodẽ instãti simul esse penes duos plenũ, perfectum, & integrũ Dominiũ eiusdẽ rei in solidũ; datur tamẽ defacto simultaneè pro eodem instanti donationis acceptatæ tàm in donante, quam in donatario; in illo cõditionatè tantùm & extrinsecè, in acceptante verò donationem sibi factam absolutè & intrinsecè.

XXVIII.

HOminum Dominium quatuor modis acquiritur, captiuitate in bello iusto, natiuitate ex serua, iustâ condemnatione, & emptione ac venditione. Non solùm hi qui iniustè redacti sunt in seruitutem possunt licitè fugere ad suos, sed etiã illi qui in bello iusto serui facti sunt; imò licitum est his dare consilium ad fugiendum.

XXIX.

VEnatio syluestriũ animaliũ licet sit ex se & ex naturali iure licita, redditur tamen illicita ex aliqua circumstantia, vel ratione status Personæ, vel ratione damni quod ex illa consequitur, vel ratione prohibitionis, vel ratione loci, vel demum ratione temporis. Fera à te percussa, si à te non caperetur, & postea ab aliò est capta, fit capientis.

XXX.

BOna inuẽta quæ Domino non carẽt, esto nobis sit ignotus nõ possunt cedere inuentori; quæ verò vel nũquã habuerũt Dominũ, vel si eum aliquãdo habuerũt, in lõginquitate tamẽ tẽporis quo possideri desierũt, defacto carent illo, sunt inueniẽtis; nisi aliquâ lege humana eorũ Dominiũ alteri applicetur.

XXXI.

XXXJ.

THesaurus inuentus in loco publico, qui ad nullum pertinet speciali Iure vtilitatis, totus est inuentoris; inuentus verò in loco publico, qui spectat ad aliquem peculiari iure vtilitatis per medium est Domini loci. Qui scit in agro alieno latere thesaurum, potest nihil reuelando emere agrum. & postea thesaurũ eruere, & sibi totum retinere.

XXXIJ.

PRæscriptio est acquisitio per continuationẽ possessionis ad tempus Lege præfinitum: Habet vim etiam in foro conscientiæ: Quatuor conditiones sunt ad eam necessariæ, Possessio scilicet, Bona fides, Titulus probabiliter præsũptus, & Continuatio possessionis. Nulla res præscribi potest quæ licitè fieri nõ potest.

XXXIII.

DOminium perfectum rei temporalis non potest in alterũ transferri per solam voluntatem internam; hæc tamen sufficiens est tunc vt in conscientia obliget, quando vnus homo ita alteri homini cedit Dominiũ rei suæ vt velit se ad cessionem illius obligare coram DEO. Ad acquisitionem Dominij ordinariè requiritur, titulus & traditio.

XXXIV.

COntractus est reciprocus consensus duorum aut plurium sensibili signo expressus: Diuiditur primò in Contractus nominatos, & innominatos: secundò in lucratiuos seu gratuitos, & onerosos: Tertiò in contractus bonæ fidei, & stricti iuris: Quartò in pacta nuda, & pacta vestita: Perficitur consensu, re ipsâ, verbis, & scripturâ.

XXXV.

COnsensus ad valorem contractûs humani necessariò requisitus debet esse liber, deliberatus, externè manifestatus, non impeditus iure Diuino aut humano, & immunis ab errore, dolo, & metu. Ille qui habuit animum promittendi, sed cum voluntate expressa non se obligandi, ex errore putans quod ex promissione non oriatur obligatio, manet adhuc obligatus.

XXXVI.

QVando error est circa substantiam rei, ipso iure naturæ irritat contractum; quando verò non est circa substantiam rei, etiamsi dolus det causam contractui, proueniatq; ab vno contrahentium, contractus non est omninò irritus; quamuis pro arbitrio eius qui deceptus est possit irritari, si naturâ suâ solubilis sit; si verò non sit solubilis (vt est cõtractus matrimonij & Professionis Religiosæ) nec est irritus, nec irritandus.

XXXVII.

COntractus metu cadente in constãtem virum initi, quem alter contrahens iniustè incussit, nec iure naturæ nec positiuo (exceptis aliquibus) sunt irriti; sed tantùm irritandi. Metus reuerentialis tunc facit contractũ rescindibilẽ quando timet v. g. filius malum sibi aliquod à Patre iniustè inferendum. Blanditiæ non inferunt metum vllum ne leuem quidem.

XXXVIII.

OMnes contractus præter testamẽta & vltimas dispositiones sunt inualidi in foro tàm externo, quàm interno, quando in ipsis deest aliqua solemnitas à iure positiuo requisita ad eorum substantiam & valorem: Sic contractus circa bona immobilia Ecclesiastica sine consensu Summi Pontificis, Capituli, vel Sacræ Cõgregationis rituũ celebrati, nec sunt validi, nec in cõsciẽtia obligant.

XXXIX.

IVramẽtũ tũc potest cõfirmare cõtractus iure positiuo irrritos, quãdo absq; peccato seruari possunt, nec turpitudo aliqua inuenitur ex parte illi⁹ in cuius fauorem fit iuramẽtũ. Quãdo donatio cõfirmata per iuramẽtũ ratione ingratitudinis reuocari debet, tũc Episcop⁹ tale iuramẽtũ potest relaxare; & deinde Iudex habet potestatẽ reuocandi donationem illam.

XL.

COnditio impossibilis contractibus apposita (excepto Matrimonio & vltimis voluntatibus) eos vitiat: In vltimis verò voluntatibus habetur pro non adiecta; idq; probabiliùs in vtroq; foro: sicut & in contractu Matrimonij quãdo non est contra substantiã Matrimonij habetur etiam pro non adiecta: eitq; tunc illud validum.

XLI.

XLI.

ILli Contractus qui solo cõsensu nõ cõplentur, perficiũtur positâ solâ cõditione de futuro absq; nouo consensu, si prior cõsensus reuocatus non fuit. In casu illo quo Cõtractus Matrimonij cum duobus sub conditione est initus, qui poneret priùs conditionem illius Matrimoniũ tenet: Si verò vtriusq; conditio simul poneretur, & prior cõsensus non sit reuocatus, neutrũ valebit Matrimoniũ.

XLII.

PRomissio externa nõ obligat naturali iure Promissorẽ ad illã ante acceptationem ex Iustitia adimplẽdam; imò etiam acceptata in his casibus desinit obligare. Primò: Quando non verificatur conditio sub qua res fuit promissa: Secundò: Si res promissa reddatur impossibilis, vel illicita. Tertio: Quãdo res promissa redditur inutilis Promissario. Quartò: Quando notabiliter variatur status rei.

XLIII.

DOnatio etiã traditione cõpleta licitè reuocari potest, vel ob ingratitudinẽ Donatarij erga Donantẽ, vel ob nouam prolẽ post donationẽ Donatori exortam: Si tamen Donans expresse iuret, se non reuocaturũ donationem, etiam si Donatarius futurus sit ingratus, vel etiam si sibi filius nascatur, non est iam donatio reuocabilis.

XLIV.

TEstamẽtũ est iusta sentẽtia hominis de eo quod post suã mortẽ fieri vult, cum hæredis directa institutione: Alterum est clausum, quod scripto fit; Nuncupatiuũ alterũ, quod voce corã testibus celebratur. Nullus tenetur sub peccato testamẽtũ condere, nisi iudicet ex omissione sui testamẽti multas futuras lites, odia & dissensiones inter successores: Solemnitates à Iure ciuili requisitas ad illud quæ præiudicant Spirituali bono animarum potest Summus Pontifex tollere.

XLV.

DEpositũ est id quod ad custodiẽdum alicui datur. Depositarius non potest absq; deponentis consensu vti re depositã. Depositor potest depositum repetere ante tẽpus. Furi & Latroni restituẽdũ est depositũ, quando à Depositario ignoratur esse furto sublatũ; si verò Depositarius resciat de Domino vero, isq; probet esse suum depositum, ei non furi restituere debet.

XLVI.

COmmodatũ est alicuius rei ad specialẽ aliquẽ vsũ gratuita concessio. Cõmodans nequit absq; iniustitia rem cõmodatã ante tempus reuocare, nisi noua superueniat causa à principio non præuisa. Cõmodatũ nõ solum accipere possunt hi, qui possunt alijs cõmodare, sed etiã illi qui cõmodare nõ possũt. Cõmodatarius in periculo tenetur res cõmodatas præferre proprijs.

XLVII.

MVtui ratio benè subsistit, esto idẽ in indiuiduo quod ab initio datum erat reddatur, dum modò non sit deterioratũ. Mutuatarius tenetur pecuniam restituere iuxta valorẽ quo illã accepit tempore contractus, non autẽ iuxta cõtractũ quo illã restituere debet tẽpore solutionis. In Mutuo licita est pœna conuentionalis.

XLVIII.

VSura est lucrũ ex vsu rei mutuatæ prouenieñs tãquã ex Iustitia debitũ: Est illicita iure Naturali, Diuino, & Canonico. Pro obligatione Mutuũ nõ repetẽdi per annũ, nõ licet aliquid vltra sortẽ accipere; licet verò ratione damni emergẽtis, aut periculi illius, vel lucri cessantis. Mõtes pietatis non sunt vsurarij, sed liciti & pij.

XLIX

ILli omnes pecant contra Iustitiam & obligãtur ad restitutionem, qui sunt causa efficax vt vsurarius exerceat vsuras; non tamen hi, qui vsurarijs domos locãt vel permittunt in ijs illos habitare. Omne pactum quo adijcitur grauamen vel onus aliud præter id quod Mutuo est intrinsecum & proprium, reddit contractũ vsurarium. Vsurarius non acquirit Dominium vsuræ.

L.

EMptio est contractus quo pretium pro merce soluitur. Iustum pretium aliud est Legale, quod est Lege definitum: Vulgare aliud, quod communi hominum æstimatione imponi solet; quodq; licitè in Nundinis variatur; & ad quod augendum non sufficit indigentia maior Emptoris. Quælibet læsio iusti pretij in Contractu Emptionis & Venditionis scienter facta est peccatum contra Iustitiam.

LI.

LI.

VEnditio est cōtractus quo merces traditur pro pretio. Quando Vēditor interrogatur ab Emptore de vitio rei vendibilis, imò etiam non requisitus, tenetur illud manifestare dum est occultum, potestq; causare notabile damnū Emptori. Potest Venditor sine Iniustitia suas merces vendere pretio currenti, etiamsi priuatā notitiā sciat pretium mercium breui minuendū. Retractus est licitus.

LII.

CEnsus est Ius annuā pensionē percipiendi ex re fructifera, vel persona alterius. Licita est emptio cēsus non solum reseruatiui, sed etiam consignatiui, tàm realis (siue primò constituatur siue ante institutus ematur, siue sit redimibilis, siue irredimibilis, siue temporalis, siue perpetuus, siue fructuarius, siue pecuniarius) quàm personalis ac mixti.

LIII,

REstitutio est voluntas vnicuiq; tribuendi ius suum priùs à se læsum: Est necessaria tantum necessitate præcepti ad salutē & nō necessitate medij: Nō est actus solius Iustitiæ Cōmutatiuæ, sed etiam Distributiuæ & Legalis. Distributor non solum tenetur sub onere restituēdi ad æquam distributionem faciendam, sed etiam ad diligenter examinanda merita singularum Personarum.

LIV.

BOnæ fidei possessor cognitā veritate quod res non sit sua tenetur restituere fructus naturales & mixtos deductis expensis, nō tamē merè industriales, vel illos, qui non amplius extāt, nisi inquātū ex illis factus est ditior. Nō tātùm probabiliter existimās rem esse suā, sed etiā dubitās an sit sua, potest, dubio tali perseuerante, post diligens examen, etiamsi magis inclinet rem non esse suam; eam retinere, & vt suam seruare vel alienare.

LV.

PRæcisā obligatione ratione cōtractûs vel officij nō oritur in cōscientia obligatio grauis damnū restituēdi ex culpa Theologica veniali, sed tātū vel ex eadem mortali, vel ex leui Iuridica, præcipuè si ponatur ex animo grauiter nocēdi. Jlle qui delictū cōmittit, quod postea per errorē alteri innocenti imputatur; etiāsi hāc imputationē præuiderit, modo tamen eā non intēderit, nō obligatur ad damna restituenda ex illa imputatione innocenti secuta.

LVI.

VLtra principalē Iniuriatorē obligātur ad restitutionē etiā cōplices, non tātùm quādo cōcurrūt ad substātiā actus iniusti, sed etiā quādo ita sunt causæ circūstātiarū, vt actus fiat citiùs, firmiùs, atrociùs &c. Ex his singuli si tātum partialiter cōcurrūt partialitate effectûs ad damnū, non tenentur ad restitutionem totius damni.

LVII.

NEmini licitū est seipsum vel aliū innocētē directè & per se occidere, aut mutilare. Aggressorē tamen iniustum vitæ, quilibet cum moderamine inculpatæ tutelæ potest, non tamen tenetur occidere: sicut & furem licitum est mactare ad defendenda bona fortunæ, quādo aliter defendi non possunt. Pro mutilatione aut occisione præcisè nihil est restituendum.

LVIII.

QVi seipsum infamat etiam sine causa per se loquendo non peccat grauiter; imò hoc ex causa rationabili faciens meritoriè agit. Qui verò alterius sine iusta causa graue vitiū occultū vni etiā manifestat, quē scit seruaturū illud in secreto, non excusatur à mortali vitio detractionis: Excusantur autē ordinariè, & ille qui solùm refert audita, vt audita; & qui peccatum iam publicum manifestat adhuc nō scientib⁹.

LIX.

QVando furtū est peccatū veniale ratione materiæ, obligatio restituendi est etiā tātùm sub veniali. Si cū animo furandi multùm, accepisti parum, quia nō fuit plus, peccas adhuc mortaliter, non quidē in effectu, Sed in affectu. Furtum leue ex materia potest fieri graue ratione damni. Peccat mortaliter, qui Personæ illustri & splendidæ aufert vnum aureum vngaricum.

SOLI JVSTITIÆ CHRISTO. O. M.
Syderum Jmperatori GLORIA. E Mari exortæ
NVBI MARIÆ HONOR.